



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De morte simplicis monialis, quae capram putabat esse feminam
secularem, cap. 37.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

Greg. l. 2 nace significet. CAESARIVS: Animam simplici se-
dial. c. 34 minæ: nam in specie eiusdem auiculæ S. Benedictus,
 sicut in eius vita legitur, animâ sororis suæ Scholasti-
 cæ vidit cœlos penetrare.

CAPVT XXXVI.

Columba hæc, ad mentem mihi reuocat mona-
 chum quendam simplicem Lodovicum nomi-
 ne, qui ante hoc biennium apud nos defunctus
 est. Hic cum tempore meridiano agonizaret, & con-
 uentus dormiret, monachus quidam in somnis inter-
 rim vidit columbam candidam in tecto cellulæ, in qua
 moriens jacebat residentem, cui cattus niger insidia-
 batur; & cum esset ei nimis importunus columba ab
 eo apprehendi timens, ad ecclesiam volitando, fugiens
 super crucem ascendit, ibi residens securo. Eadem ho-
 ra visum alteri cuidam monacho fuit, quod fratres
 circulariter hinc inde stantibus, leo circumiēs stator-
 nem eandē irrumpere nisus sit & intrare, sed à singulis
 prohibebatur, & calcibus eorum impulsus fugabatur.
 Interim percussa tabella, conuentus accurrit, morien-
 tem circumsternit, dictaque letania, sacerdos defunctus,
 lotus, & vestitus, cum solenni cantu deponitur in
 oratorium, & spero quod cattus leonisque euaserit in-
 sidias. Diabolus catto & leoni, qui satis in forma &
 in natura concordant, simplicium animabus morien-
 tibus maximè insidiando, propter rapacitatē assimi-
 latur. Quam fortiter impellatur, & repellatur oratio-
 nibus iustorum, in hora illa terribili, satis audies in
 distinctione vndecima de morientibus. Idem Lodo-
 wicus, licet natura simplex fuerit, satis tamen carna-
 liter ante conuersionem vixerat, vsque ad ætatem de-
 crepitam. Quantum verò virtus simplicitatis Deo, qui
 naturæ simplicis est, placeat, cuiusdam sanctimonialis
 mors pretiosa declarabit.

CAPVT XXXVII.

IN diocesi Treuerensi, monasterium quoddam sancti-
 monialium situm est Lutere vocabulo, in hoc ex
 quadam antiqua consuetudine, nulla recipitur
 puella, nisi septennis sit, vel infra; ad conseruationem
 simpli-

simplicitatis, quæ totum corpus lucidum facit, huiusmodi constitutio siue consuetudo inoleuit. Erat in eodem cœnobio recentiori tempore virgo quædam adulta, sed in rebus mundanis tam infantula, vt vix discernere posset inter pecus & hominem secularem, eo quòd huiusmodi formarum ante conuersionem nullam habuisset notitiam. Die quadam murum pomarij capra ascendit, quam illa videns, & quid esset prorsus ignorans, ait cuidã sorori iuxta astanti: Quid est hoc? Illa cognoscens eius simplicitatē, mirati ioculariter respōdit: Mulier est secularis, & adjecit: Quādo seculares mulieres senescunt, cornua & barbas emittunt. Illa sic esse putans, aliquid se didicisse gratulabatur. Cumque per huiusmodi simplicitatis exēpla sapius sororum maturitatem temperasset, grauissimam incurrit ægritudinem. Quæ cū sic jaceret, vt vix loqui posset, visitante se infirmaria, primò verbo, deinde signo, vt ocyùs recederet indicauit. Illa neutrum intelligente, dum stupida staret, ægrota panniculum capitis sui complicans, contra pectus stantis leniter iecit, quæ mox ac si lapide percussa esset, in terrā corruit. In qua dum sine sensu aliquamdiu iacuisset, erecta per fenestrā lecto infirmarij cōtiguā prospexit, & ecce in cœmiterio multitudo stabat dextrariorum, sellas deauratas frenaq; aurea habērium; cūq; in ipsa hora virgo agonizaret, sororibus propriùs accedentibus, clara voce clamare cœpit: Date locū, date locum; sinite dominos istos accedere: viderat enim cellulam repletam personis miri decoris atq; splēdoris, quorū vestimenta deaurata videbantur. Sicq; obdormiuit in Domino. APOLLON. Puto cœlestē fuisse exercitum, qui animam illius simplicis feminæ in cœlestē deducebat thalamum. CÆSARIVS: Bene sentis, vnum tamen notare debes, videlicet quòd infirmaria equos vidit in cœmiterio, moriens verò ascensores in domo. Testis huius visionis est Henricus Prior Prædicatorum in Colonia, qui se eam à prædicto loci Præposito audisse commemorat.

FINIS LIBRI SEXTI.

A 2 4

CÆSA-